

II a





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591243-p0002-1

DFO

DECAS
QUÆSTIONUM 14
JURIDICARUM,

Quam
DUCE DEO

*Autoritate Ampliss. J. Ctorum Fener-
sium ordinis,*

PRÆSIDE

EMMERICO Pfefferkorn
Crucisburg. Tyrigetâ,

*Pro viribus defendendam
suscipiet-*

VITUS JOACHIMUS à JAXHAIM
Onoldsbach. Francus


Addiem 28. Junii.



J E N Æ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO 1617.



Nobilissimo, Strenuo, doctrinæ & experien-
tiæ laude maxime conspicuo


V I R O,

DN. GERHARDO
SIGISMUNDO à Luschwitz in
Glaßhütten vnd Mistelbach / Aulæ Brandenburgicæ,
quæ est Onoldsbachii, consiliario intimo & direc-
tori meritissimo, Domino ac patrono
suo summopere suspiciendo.

*Hancce decadem quæstionum in
devoti animi argumentum*

Offert & dedicat

*Vitus Joachimus à Jaxhaim Onolds-
bach, Fr. Reßp.*



QVÆSTIO I.

An minor curatorem habens absq; ejus consensu obligetur? N.



Ortissimum nostræ assertionis
fundamentum habetur in l. si curatorem
3. C. de integr. rest. ubi scribitur, minorem
contractum sine curatore, quem habet, ita
non posse celebrare, ut obligetur. Imò Impp.
in d. l. si curatorem. 3. conferunt hoc casu
minorem cum prodigo, cui bonis inter-
dictum. Jam v. is, cui bonis interdictum est, obligari ex
contractu nequit l. is cui ff. de V. O. Certum quoq; est, admi-
nistrationem bonorum non æquè permitti minori curato-
rem habenti, uti non habenti, cum ea nunc spectet ad peri-
culum curatoris l. sancimus. C. de administr. tut. Bonorum
autem & negotiorum administratione potissimum conti-
nentur obligationes & potestas sese obligandi l. Princeps. 21.
ff. de V. S. A quo deniq; removetur effectus, ab eo remove-
bitur etiam causa. Atqui effectus h. e. alienatio à minore cu-
ratorem habente removetur l. in copulandis. C. de nupt. E. &
causa h. e. obligatio. Obstare graviter videtur l. puberes 101.
ff. de V. O. Verùm illa lex exaudienda est eo in casu, quando
minor curatorem non habet, & sic non repugnabit d. l. si cu-
ratorum. Nec rectè quis urgebit verba curatoribus SUIS in d. l.
puberes. 101. ac si hoc reciprocum SUIS non patiatur hanc in-
terpretationem, cum præsupponat habere. Nam ex facili ei
satisfieri potest, tum quod MEUM TUUM SUUM non solum
significet id quod jam est, sed & esse possit: tum quod verb.
SUIS referri queat ad stipulantes creditores, quemadmodum
etiam

etiam in antiquis exemplaribus ita interpungi dicit gl. in d. l.
si curatorem 3. & in d. l. puberes. 101. Gæd. in d. l. princeps. 21. n.
5. & seqq. ff. de V. S. & in tract. de contrah. & commit. stip. c. 7.
conclus. 14. per tot. Forst. 1. disp. Justin. 5. th. 1. Rober. disp. Just.
50. th. 4. Diff. Cujac. 19. obs. 33. & in d. l. puberes. 101. Fachin. 3.
contr. 9. Treut. 1. disp. 20. th. 9. lit. c.

QVÆSTIO II.

*An testamentum patris inter liberos conditum ob
inæqualitatem jure expugnari possit? A.*

FTsi ultima patris voluntas, quam inter liberos ordinavit, & manus propriæ subscriptione ac sigillo firmavit ac constabilivit, ex solennitatum defectu impugnari & everti nequit l. hac consultissima §. ex imperfecto & ibi interpp. C. de testam. Ernest. Cothm. vol. 1. consil. 6. in pr. eam tamen ob non servatam æqualitatem jure expugnari posse non dubitandum, quia testamentum inter liberos conditum solo jure naturæ & gentium sustinetur l. fin. C. fam. hercisc. Jason. in d. §. ex imperfecto n. 2. at natura inter liberos æqualitatem observari jubet l. interfiliis C. fam. hercisc. l. 3. C. com. utriusq; judic. Ergò. Deinde ut testamentum ex solennitatum defectu mancum inter liberos valeat, favore liberorum receptum est, Dd. communiter in d. §. ex imperfecto. Nullas itaq; ejusmodi testam. quô inæqualiter & iniquè inter liberos disponitur, vires habebit, cum non debeat, nec possit judicium paternum imperfectum solo liberorum favore subnixum in dispendium eorum ordinari l. quod favore. 6. C. de legib. Præterea in testamento perfecto parentibus permisum est liberos in partibus inæqualibus heredes instituere l. parentibus 8. C. de inoff. testam. secus igitur erit in testamento imperfecto, cum licentia ea de inæquali inter liberos dispositione naturæ aduersetur. Nec movet, quod patri usq; ad legitimam liberos fraudare liceat d. l. parentib. 8. Geil. 2. obs. 112. n. 24. Illud enim tūm demum verum est, si pater testamentum suum ritè condat, ut patet ex rescripto Imp. in d. l. parentib. 8. siquidem



si quidem sub rubrica de inoff. testam. collocatum reperitur.
Jam autem inofficium testamentum dici nequit, nisi so-
lenniter & contra pietatis officium factum sit l. 2. ff. de inoff.
testam. item in pr. Inst. eod. ideoq; querelâ inoff. testam. im-
pugnari potest, à qua immunis est, qui legitimè testatur,
modò debitam liberis portionem relinquat, Ernest. Cothm.
d. consil. 6. n. 55. cum trib. seqq. similiter non stringunt l. filii
16. & l. fin. C. fam. hercisc. cum expressè de iis casibus loquauan-
tur, quando liberi patri ab intestato succedunt, & pater
quasdam tantum res liberis ab intestato successuris prælega-
vit, vel de quibusdā solum rebus inæqualem divisionem
fecit. Etenim tunc filii ab intestato succedentes patris vo-
luntatem circa prælegata & divisionem factam servare de-
bent, cum id per fideicommissum rogati censeantur, ideoq;
etiam Trebellianicam inde detrahant, Ernest. Cothm. d.
loc. n. 63. 64. & 65. Vid. Ludov. Roman. consil. 386. per tot. &
consil. 179. n. 16. And. Tiraq. de jur. primog. q. 4. n. 4. Ant. Gabr.
lib. 4. de Testam. conclus. 6. E. Cotbm. d. consil. 6. per tot. ubi plu-
res allegat. Diff. Paul. Parif. conf. 34. n. 21. p. 2. Vasq. de success.
creat. p. 1. lib. 3. §. 21. limit. 7. n. 67. Geil. 2. obs. 112. n. 23. & seqq.
Hart. pistor. 1. quest. 11. n. 11.

Q V A E S T I O III.

An legitima in vita patris liberis debeatur? N.

PLeriq; existimarent, filium habere jus in legitima patre
vivente, arg. l. in suis ff. de lib. & posthum. at contrarium
verius est l. 1. §. si impuberi 21. ff. de Collat. honor. Myns. 4. obs. 25.
etiam si pater dilapidator & prodigus esset l. cum queritur 6.
C. de inoff. testam. Bald. in l. non potest. ff. de adopt. Salic. in l.
2. C. si quid in fraud. patron. cum aliud remedium ordinarium
haberi possit, quo prospiciatur liberis, ut nempe patri bonis
interdicatur & ipsi curator detur, per l. 1. in fin. ff. de Curat.
furiosor. Treut. 1. disp. 13. th. fin. lit. b. Diff. Jason. in l. si con-
stante ff. solut. matrim. n. 199. eamq; esse communem asserit
Pinell. in p. 3. l. 1. C. de bon. matern. n. 75. subdit tamen in praxi

A 3

nunquam



nunquam vel difficilimè locum habituram. Imò nec ob delictum filii pauperis condemnati ad pœnam pecuniariam pater tenetur solvere legitimam, per d. l. cum quæritur 6. in fin. atq; ita statuunt Dd. communiter. M. Grass. in 1. vol. recept. sent. §. legitimam. q. 12. n. 2. Legitima enim dicitur pars successionis ab intestato l. parentib. 8. in pr. & l. quæ nuper. 31. C. de inoff. testam. ac in bonis vivi nulla est successio l. 27. ff. de acquirend. hered. & l. si hereditas 1. ff. de hered. vel act. vend. adeò ut de jure verius sit, statuto introduci non posse, ut pater ex delicto filii teneatur ad solutionem portionis legitimæ, per ll. & rationes allatas à Moller. 3. semestr. 6. etiam jure Saxonico, Reinh. p. 6. diff. 43. Coler. decis. 39. licet contrarium usu receptum defendi possit, arg. c. referente 2. extr. de delect. puer. Jason. in auth. novissima n. 8. C. de inoff. testam. Schneid. ad §. actiones 10. n. 22. Inst. de Actionib. quod tamen rectè limitatur, ut locum non habeat, si ex filio, qui deliquit, pater nepotem habet, Jos. Lud. decis. 11. n. 28. aut ex contumacia filius condemnatus sit l. 55. ff. de Evict. l. si perlusorio. 14. §. quotiens. 1. ff. de Appellat. l. un. §. si procurator. ff. si quis jus dic. non obtemp. Fachin. 9. contr. 52. Item ipse filius virò adhuc patre legitimam portionem petere potest, quando pater monasterium ingressus & religionem professus est. c. cum simus. extr. de regularib. auth. si qua mulier C. de SS. Ecclesiis, quia patris monachi effecti nulla potest esse successio, cum nihil habeat, sed omnia ad monasterium transtulerit, auth. ingressi. C. d. t. Ergò frustra exspectari debet mors ejus, ut filii in portionem legitimam succedant. Fachin. 6. contr. 13. Vid. Dn. Ortolph. Foman. ad d. l. cum quaritur. 6. C. de inoff. testam. Treut. d. loc. lit. a.

Q V A E S T I O IV.

An hereditatis dirisio peti possit, etiam post longissimum tempus? A.

Nodus hic est implicitus, & esset quæstio pro amico, quia utraq; pars videtur defendi posse, ut inquit Zaf. in §. quæ-



§. quædam actiones. n. ii. Affirmativam autem veriorem & æquiorem esse probatur per l. ult. C. com. div. ubi Impp. rescribunt, neminem invitum posse detineri in communione, nec ullum posse compelli, ut maneat in societate. Fundamentum immotum! Deinde quod lites & discordias parit, illud defendendum & admittendum non est l. si quis 21. §. in civilib. i. ff. de capt. & postlim. Communio bonorum lites & discordias parit l. cum pater. 77. §. dulcissimis 20. ff. de legat. 2. Ergò. Præterea præscriptio contra possidentem non currit l. 2. C. de præscript. 30. annor. Atqui in nostro casu uterq; coheres possidet bona pro indiviso t. t. ff. & C. com. div. Impossibile itaq;, ut contra alterutrum præscriptio currat. Nec huic repugnat l. super annali. i. §. adhac i. Vers. nemo itaq; C. de annal. except. ubi actioni familiæ herciscundæ & communi dividendo annis 30. præscribitur. Illa n. lex non agit de eo casu, quando agnati ab utraq; parte possident, sed de eo, quando unus coherendum fuit per 30. annos in possessione, alter v. non. Tunc namq; ille, qui in possessione non fuit, actionem adversus possidentem instituere nequit, quia possessor præscripsit, Fachin. 6. contr. 36. Et hæc de divisione hereditatis facienda, etiam post longissimum tempus, adeò vera sunt, ut nec pæsto fieri possit, ne omnino divisio bonorum fiat l. in hoc 14. §. si conveniat. 2. ff. com. div. l. licet pacto 23. C. fam. hercisc. l. si convenerit. 14. l. nulla ff. pro socio Treut. 1. disp. 19. th. 14. lit. i. Licet enim aliæ pacta servanda sint, & nihil magis fidei humanæ congruat, quam ea, quæ semel placuerunt, custodire l. i. in pr. ff. de pact. quia tamen tale pactum contra communem utilitatem publicam, non valet, cum intersit Reipub. ne inter subditos sint discordiæ d. l. si quis re. §. in civilibus i. ff. de capt. & postlim. fac. l. si cuius 13. §. æquissimum 3. ff. de Usufr. quarum mater est communio, ut constat ex d. l. cum pater 77. §. dulcissimis 20. ff. de legat. 2. Bart. & Cyn. in d. l. i. §. i. vers. nemo itaq; C. de annal. except. Zaf. d. loc. n. ii. & aliquot seqq. Schneid. ad d. §. quædam actiones 20. in tract. com. div. n. 27. Inst. de Actionib. Fachin. 6. contr. 36. Diff. Accurs. in d. l. i. §. i. verb. coheredibus, quem sequuntur Jacob. Butrig. Bald. & Ang.

per



per illum text. C. de annal. except. si autem ad tale pactum juramentum accesserit, tunc communio procedit in perpetuum h. e. quoad vixerint jurantes, & sic accipiendus est textus in l. societas i. in pr. ff. pro socio. cum omne juramentum servari debeat, quod absq; salutis æternæ periculo servari potest c. cum contingat. de jurejur. Jason. in l. si non sortem §. si centum ff. de condic. indeb. quem sequitur Schneid. d. loc. n. 19. & Treut. d. loc. & illis mortuis rursus heredes ad divisionem provocare possunt d. l. i. ff. pro socio. Zaf. ad d. §. quadam actiones 20. n. 17. Inst. de Actionibus.

QVÆSTIO V.

An venditor habens facultatem tradendi, præcisè teneatur rem venditam tradere, nec præstando interesse liberetur? A.

Facit l. ex empto. ii. §. 2. ff. de act. empt. item §. sed & i. Inst. de empt. & vend. in verb. restradatur & venditio ad effectum perducatur. Deinde aliud pro alio iuvito creditori solvi nequit l. 2. §. mutui. ff. si cert. pet. l. quires 98. §. mibi Romæ 6. l. si cum 50. ff. de solut. sed sola res vendita debetur emptori, text. in §. alia autem Inst. de donat. Ergò illa tradi debet, & non aliud ipsius loco emptore invito. Proinde nihil magis bona fidei, quæ summa est in hoc contractu, congruit, quàm id, quod inter contrahentes convenit vel actum est, præstare d. l. ex empto ii. §. 1. ff. de act. empt. l. cum venderem 21. ff. locat. Id autem agi intelligitur, ut res emptori tradatur, & premium venditori detur d. l. ex empto ii. etiam ex natura hujus contractus d. §. sed & i. Inst. de empt. & vendit. Ergò. Omnium deniq; textus est expressissimus in l. cum quidam fin. C. de fideicom. libert. ubi judex stolidus appellatur, qui condemnationem non in rem ipsam, sed in ejus estimationem fecit, cum qui restituere jubetur, præcisè compellatur rem ipsum tradere, non autem ejus estimationem l. qui restituere 68. ff. de rei vindic. Bronch. cent. 2. ass. 57. Donell. 13. com. 2. ubi Dn. Hillig. in not. sub lit. a- Treut.



Treut. i. disp. 28. th. 2. lit. c. Rober. disp. Justin. 17. coroll. 2. Dn.
Arum. exerc. Justin. 14. th. 2. Dn. P. Theod. ad §. cum autem
3. Inst. de empt. & Vendit. Diff. Vaud. 1. quæst. 9. Fachin. 2.
contr. 30. Gæd. in tract. de contrah. & com. stip. c. 9. conclus.
4. n. 65.

QVÆSTIO VI.

An etiam res immobiles possint deponi? A.

Etiam rei immobilis depositum esse, constat ex eo, quod depositi Objectum indefinitè constituitur in vocabulo REI l. depositum i. §. quæ depositis s. ff. depositi. Rei a. vocab. tām mobilib. quām immobilibus competere extra dubitationis aleam positum est l. rei, & ibi Dd. ff. de V. S. Deinde sequestrum est rei immobilis l. fin. C. de Ord. cognit. c. ex literis 2. de dolo & contum. Atqui sequestrum est depositum l. sequester. 110. ff. de V. S. l. licet. 17. ff. depositi. E. etiam depositum quoddam erit rei immobilis. Præterea interdictum unde vi tantum competit de rebus immobilibus l. prætor ait i. §. & generaliter 4. ff. de vi & vi armat. l. un. §. hoc interdictum ff. Utrubi. Icti autem quærunt, utrum hoc interdictum etiam locum habeat in deposito, quæ sanè quæstio supervacua esset, si certò constaret, depositum non esse rerum immobilium. Rober. disp. Justin. 14. th. fin. Deniq; cujuscunq; rei est vel esse potest custodia, ejus etiam est depositum d. l. 1. ff. depositi. Ubi n. formale depositi, quod custodia, ibi ipsum depositum. Atqui rei immobilis est & esse potest custodia l. si vendita n. ff. de periculo & commod. rei vend. Ergò. Gæd. ad rubr. extr. de sequestr. & ad d. l. sequester. 110. ff. de V. signif. Dn. P. Theod. ad §. præterea. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. Diff. Azo in sum. C. depositi n. 5. Myns. & Schneid. ad d. §. præterea. 3. Treut. i. disp. 26. th. 4. lit. d. Forster. i. disp. Justin. 16. th. 16.

QVÆSTIO VII.

An Emphyteusis sit contractus stricti juris? A.

B

Sic



Sit argumentum: quod non numeratur inter actiones bonæ fidei ab Imp. Justin. in §. actionum. 28. Inst. de act. id necesse est, ut sit stricti juris, cum omnes bonæ fidei contractū ibi enumerentur. Rober. disp. Justin. 21. th. 8. Dn. Arum. exerc. Justin. 18. th. 13. & Dd. communiter. Atqui Imp. in d. §. actionum non facit mentionem emphyteuseos. Ergò. Nec infringitur hoc argumentum ex eo, si dicas, contineri emphyteusin sub Locatione. Diversi enim sunt contractus Emphyteusis & Locatio, & sic alter alterum sub se comprehendere nequit. Deinde contractus ille, ex quo condicō ex lege oritur, non est bonæ fidei, sed stricti juris arg. d. §. actionum. cum nec in eo condicō ex lege recenseatur. Atqui ex contractu emphyteutico datur actio ex lege, arg. l. un. ff. de condicō. ex lege l. i. C. de jure emphyt. Ergo erit contractus stricti juris. Bocer. disp. 4. p. 2. th. 29. Tandem sumitur firmissimum argumentum ex d. l. i. C. de jur. emphyt. ubi in pr. dicitur, omnibus iis standum esse, quae inter emphyteutam & dominum pacta sunt, quod certè belle congruit contractui stricti juris. Quicquid igitur specialiter non est expressum, id omissum intelligitur, exemplo stipulationis l. 99. ff. de V. O. Adversari videtur, quod omnes contractus consensu constantes sint bonæ fidei. Emphyteusis constat consensu. E. Assumptio falsa est, cum non sufficiat solus consensus in emphyteusi, ut in Locatione, sed requirantur insuper pactiones certae, quibus stabilienda est §. adeo Inst. de Locat. d. l. i. C. de jure emphyt. Jam ubi duo vel plura copulativē requiruntur, ibi non sufficit alterum adesse, text. in l. si quis stipulatus ff. de V.O. & in l. si plures ff. de condicō. instit. Geil. i. obs. 3. n. 3. obstat præterea d. l. i. in fin. C. d. t. ex qua sic colligi potest, in judicium stricti juris nihil venit, nisi de quo specialiter actum fuit, arg. d. l. quicquid 99. ff. de V. O. Atqui in contractum emphyteuticum etiam id venit, de quo nihil fuit conventum d. l. i. in fin. E. verum ibi agitur de modico casu fortuito, de quo contrahentes sensisse non præsumuntur. Sichard. add. l. i. n. 46. Wes. in parat. ff. si ager Vectig. n. 2. Valasc. de jure emphyt. q. 5. n. 7. Gæd. de contrah. & com. stip. c. 8. conclus. 2. n. 53. Diff. Donell. add. §. actionum 28. n. 34. Treut. i. disp. 29. th. 9. lit. c.

An



QVÆSTIO VIII.

An filiusf. renunciare possit Scto Macedoniano? N.

Scto Macedoniano causam præbuit improbus fœnerator Macedo, qui flagitosè adolescentibus filiisf. pecuniam ad quemvis luxum incertis nominibus credebat, *Wes. in parat. ff. de Scto Maced. n. 3.* sic ut ære alieno creditarum pecuniarum onerati sæpiissimè vitæ parentum insidiarentur §. illud 7. *Inst. quod cum eo, qui in alien. potest.* Ne autem in posterum hoc fieret, senatus censuit, filiumf. non obligari ei, qui mutuô crediturus esset pecuniam, etiam post mortem patris ejus, in cuius fuisset potestate l. 1. ff. *de Scto Maced.* nisi paucis casibus exceptis, de quib. agit *Rober. disp. Justin. 22. tb. 5.* quæstionis jam est, num filiusfam. huic Scto renunciare queat? Et negativam sententiam probat *l. tametsi 11. ff. d. t.* ex qua sic argumentor: si efficax esset renunciatio, tunc exceptione non oppositâ filiusfam. non juvaretur; sed posteriorius est falsum *ex d. l. 11. E. & prius.* Deinde juri publico parentis privatorum derogari nequit *l. 38. ff. de pact.* Atqui Sctum Maced. est jus publicum, siquidem respicit publicam utilitatem, ne filiusfam. pecunia mutuo datâ corrumpatur, & de parentis morte cogitet *d. l. 1. ff. de Scto Maced.* Ergò. Fraus deniq; Scto omnino fieri non debet *l. 3. ff. d. t.* quæ tamen committeretur, si renunciatio talis valeret, & sic una via prohibitum altera concederetur, *c. cum quid de reg. jur. in 6.* Et hanc sententiam communem esse contra *Zas 2. respons. 18. testantur Fachin. 2. contr. 61. Treut. 1. disp. 20. tb. 7. lit. d. Dn. Arum. exerc. Justin. 19. tb. 8.* adeò ut etiam si juram. accesserit, hæc renunciatio non valeat, cum renunciatio eorum, quæ ob utilitatem publicam introducta sunt, neq; juramento facta ulla vires habeat *c. si diligent in fin. de foro compet. Bart. in l. Sejus ff. ad L. Falcid. Tib. Decian. vol. 3. respons. 7. n. 7. Rober. disp. Justin. 22. tb. 5. circ. fin. Diff. Panorm. in c. cum contingat. de jurejur.*

B 2

An



QVÆSTIO IX.

An minor 25. annis gradum Jcti adeptus, si in contractibus decipiatur & laedatur, in integrum sit restituendus? A.

Fundamentum sumitur ex l. i. §. 1. ff. de minor. & in l. consilio i. C. qui & advers. quos in integr. ubi prætor beneficium restitutionis tribuit generaliter minoribus 25. annis ob fragilitatem etatis. Quæ fragilitas cum æquè esse possit in minore Jcto atq; in aliis minoribus, nec prætor Doctorem juris ab illo auxilio removeat, rectè concludemus, & Doctorem annis 25. minorem eodem posse frui privilegiō. Restitutio quippe in integr. debetur iis, qui usu & experientia rerum non valent. Talis autem est minor Jctus. Licet enim legum peritus sit, non tamen statim & rerum peritus est. Ergò Non obstat l. necessarium §. Servius 43. ff. de Orig. jur. ubi dicitur, turpe esse causas orantijus, in quo versetur, ignorare. Non enim jus ignorat minor 25. annis gradum Jcti adeptus, sed rerum experientiam, quod ipsi turpe non est, utpote qui solō vitæ curriculō in textibus juris sudaverit, de rerum usu & experientia parum sollicitus. Adversari præterea videtur, quod Jurisprudentia sit divinarum atq; humanarum rerum notitia l. justitia 10. in fin. ff. de Just. & Jur. & §. Jurisprudentia i. Inst. eod. Officium igitur erit Jurisperiti non tantum de jure, verum etiam de filia collocanda, fundo emendo, agro colendo & aliis negotiis & officiis rerum humanarum respondere, teste Cic. lib. 3. de Orat. Verùm eatenus Jurisprudentia rerum divinarum & humanarum est notitia, quatenus in utroq; jure, publico & privato, æquum ab iniquo separat & licitum ab illicito discernit. Non enim per res divinas & humanas intelligitur encyclopedia h. e. orbis doctrinæ, ut Fab. lib. 1. aut concentus doctrinarum omnium consensusq; ut Cic. d. loc. interpretantur: Sed jus publicum & privatum, quorum illud in divinis rebus h. e. sacris, sacerdotibus



ōns & Magistratibus ; hoc in humanis ; quæ ad singulorum utilitatem pertinent l. i. §. hujus studii 2. ff. de Iust. & Iur, consistit, Borch. ad d. §. Iurisprudentia 1. n. 2. & 3. Nec credendum est, olim tales Jctos de omni negocio & officio respondisse, qui nondum annos perfectæ ætatis complevissent Fachin. 3. contr. 5. in fin. Deniq; repugnat l. regula 9. in §. sed juris 3. ff. de jur. & fact. ignor. quæ dicit, prudentiâ instructum non esse restituendum. Doctor a. juris est prudentia instructus, cum omnes Jcti præsumantur prudentes. Ergò. Resp. ad assumptum, Doctorē nostrum prudentia quidem valere, atlegum & juris, non v. rerum & usus longi, quod posterius in restitutionibus potissimum attenditur d. l. i. §. 1. ff. de minorib. & d. l. in consilio 1. C. qui & advers. quos in integr. Prius non item, nisi quis Jcti copiam habere potuerit d. l. regula 9. §. sed juris 3. alias minimè denegabitur minori læso ob juris civ. ignorantiam restitutio l. fin. C. si adversus delictum quod fecus est in Doctore, qui non errore facti, sed ignorantia juris lapsus, cum is indistinctè careat beneficiō, etiamsi minorenus sit, arg. l. illicitas 6. §. sicuti 7. ff. de offic. præsid. l. professio 6. C. de muner. patrim. Alb. de Rosat. add. l. in consilio. C. qui & advers. quos in integr. in fin. Francisc. Sarmient. lib. 3. select. interpp. c. 12. Fachin. 3. contr. 5. Dn. Ortolph. Foman. add. l. in consilio. Diss. Costal. ad d. l. 6. §. sicuti 7. ff. de offic. præsid. Sfortia Oddus de restit. in integr. p. 1. q. 23. art. 3.

Q V A E S T I O X.

An ordinaria poena plectendus sit is, qui alium pro alio interficit ? A.

Probatum ita : si is tenetur poena L. Corneliae de siccari. qui cum telo ambulaverit hominis occidendi gratia, multò magis tenebitur ille, qui aliquem exspectavit, ut ipsum occideret licet non eum, quem volebat, arg. sumpto à minori ad majus: sed verum est prius, per l. is qui cum 7. C. ad L. Cornel. B. 3. desit-



de siccari. E. Facit quoq; l. si quis 20. C. de furt. junct. §. sed et si
Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. Deniq; adduci potest non in-
commode l. eum qui 18. §. si injuria 3. ff. de injur. ex qua sic ar-
gumentor; quod obtinet in injuria , illud etiam obtinebit in
homicidio , quia utrumq; delictum ex animo æstimatur l. si
quis servum 26. ff. de injur. l. i. §. divus 3. ff. ad L. Cornel. de siccari.
Jam certum est, si quis tibi injuriam faciat, putans te esse me,
eum etiam mihi injuriarum teneri, per d. l. eum qui §. si injuria
3. E. idem est in homicidio. Nec urget, si dicas, talem inter-
fectorem animum occidendi eum , quem occidit, non ha-
buisse, cum putaverit, verum inimicum adesse, & sic cum er-
rore lapsus fuerit, ipsum si non in totum, attamen ab ordina-
ria pœna absolvit debere l. eum autem 23. §. excipitur. ff. de ædi-
lit. edict. Dicimus enim revera animum adfuisse occidendi,
non quidem eum, quem jam occidit, sed eum, quem exspe-
ctabat, ideo etiam ex hoc animo res est metienda, quia dolus
hic fuit, eo quod alium occidere voluerit. Regulariter enim
dolus præsumitur ex illico actu, & quando quis dat operam
rei illicitæ, eo ipso censetur esse in dolo , text. in l. si ex plagis
§. tabernarius ff. ad L. Aquil. & in l. 2. §. doli mali 8. ff. vi. bon.
rapt. Geil. 2. obf. 110. n. 8. Propter hunc igitur dolum & simul
homicidium capite rectè plectitur alium pro alio interficiens
c. Boff. tit. de Homicid. n. 73. Gomez. lib. 3. c. 3. n. 34. & seqq. Fachin. I.
ontr. 37. Dn. Arum. exerc. Justin. 20. th. 23. Dn. P. Theod. in disp.
crim. 7. th. 5. lit. c. Diff. Ang. in l. si cum servo. ff. de injur. Jason. in l.
1. n. 18. ff. de legib. & alii, quos refert & sequitur Tiraq. de
pœnis legum temp. caus. 14. n. 4. Menoch. 2. arb.
jud. quest. cas. 324. n. 11.

F I N. I S.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591243-p0017-5

DFO






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591243-p0019-9


DFO




(X2618029)

6A





Farkkart #13



B.I.G.

D E C A S

QUÆSTIONUM JURIDICARUM,

Quam
DUCE DEO

*Autoritate Ampliss. Futorum Jenen-
sium ordinis,*

P R Ä S I D E

EMMERICO Pfefferkorn


Crucisburg. Tyrigetâ,

*Pro viribus defendendam
suscipiet*

VITUS JOACHIMUS à JAXHAIM

Onoldsbach. Francus

Ad diem 28. Junii.



J E N Æ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO 1617.

31.

14